



Numine favente!
DECAS 1674, 6.
THESIUM CASUUMQ;

Ex

Tit. Instit. de reb. corpor. & Incorporal.

ac Tit. de Servitut. Rustic. & Urban.

prædior.

illisq; quæ de eisdem proponi solent,

Exercitii Academici ergo
de promta.

Quam,
P R A E S I D E

JOH. ANDREA Frommann/
J. U. D. & Inst. Imp. P. P.

*Publicæ Eruditorum disquisitioni expositam,
pro virium indulitu, defendere conabitur*

FRANCISCUS ALBERTUS
à Sommersfeld / Eques Siles.

In Auditorio Iuridico, horis solitis,

d. IX. Octobr.

A. C H R. M. DC. LXXIV.

T V B I N G E,

Typis Kernerianis.



VIRO
GENERO SO, PER-STRENUO
AT QVE NOBILISSIMO

DN. CHRISTOPHORO ER-
NESTO à Sommerfeld/ auff Ober- und Nieder-
Grunau / Alzenau / Jacobs- und Arnsdorff / Serenissimi Prin-
cipis in Elegnitz / Brieg / & Wohlau / Consiliario, nec non Du-
catuum Cæsareorum, Suidnicensis ac Javoriensis ; in Supre-
mo Judicio, Assessori gravissimo , eorumdemque in
conventibus publicis Oratori ordi-
nario.

PARENTI,

ut vitæ, juxta D E U M , auctor;
ita salutis meæ pertinaci promotori,
utriusqueratione,
et viternum

Colendo, Amando, Observando,
Ad declarandam

Mentis devinæ gratitudinem,
filialis obsequii perseverantiam,
Studiorum Academicorum

industriam,
insuperq;
ad beneficentiaæ ulterioris incitamentum,
favorisque paterni prorogationem,

THESES HASCE

Exercitiij Juridici gratiâ conscriptas,
piè, submissè, arque devote
consecratas volo

Franciscus Albertus à Sommerfeld/ Resp.

3.
C. I. N. D. N. L. C. 07234

DECAS

THESIUM CASUUMQUE,

Ex

Tit. Instit. Fur. de Reb. Corpor. & Incorp.

& Tit. de Servit. Rusticor. & Urbani.

prædior.

deprompta.

I.

Ad §. un. Inst. de Reb. Corp. & Incorp.

Res Corporales in Mobiles & Immobiles,
in fahrende Haab und unbewegliche Güter / di-
vidi, constat. Quamvis verò res suâ naturâ
mobiles , ut : tigna , statuæ , regulæ , frumen-
tum , plantæ , tabulæ cum stipitibus & similes ,
inter immobiles neutquam sint ; facto tamen hominis , eas
immobilibus conjungente aut connectente , tali quidem , ex
quo animus connectentis colligi potest , quod perpetuam
cum iis conjunctionem intenderit , id effici potest , ut pro
immobilibus , ad effectus juris , habeantur : factio , e. g.
inædificationis tigna : affixionis statuæ : impositionis
regulæ : sationis frumentum : plantationis plantæ : infos-
sionis tabulæ cum stipitibus . Imò , etiamsi conjunctio aut

)(2

con-

connexio talis non facta; si tamen hujusmodi animus actuali rei mobilis in rem immobilem *collatione*, *perpetui ibidem usus gratia*, se se exerat, juris intellectu nihilominus pro immobili habetur: uti machinæ: tormenta in fortalitiis: lecti in diversoriis: pisces in stagnis, procreationis ergo extantes, &c. Is vero animus, factis talibus se exerens, adeò hoc operatur, ut mobiles hujusmodi res, separatae etiam, sed cā mente, ut reponantur, immobilium loco nihilominus habentur. Unde ad campestrem usum, hoc bellico tempore, exercitibus è fortalitiis commodata, tormenta immobilibus rebus nihilominus connumeranda.

II.

Adeundem.

Incorporales res: quæ nimirum in jure consistunt: quamvis propriè nec mobiles sint, nec immobiles; si tamen casus contingit, ut alteri speciei ex his necessariò veniant accessandæ: uti, si, e. g. duo heredes instituantur, vel ex lege aut statuto constituantur: alter rerum mobilium, alter immobilium: tunc sanè pro diversitate earundem, quat. sunt *vel* adjunctum inherens subjecto mobili, aut immobili: quale est servitus; *vel* quat. sunt jus, objectum tale habens petendum: uti rei vindicatio, aut personalis actio, ad rem mobilem aut immobilem; *vel* quat. jus sunt, mobile quid petendum quidem pro objecto habens, sed exactionis, ex parte ejus, cui competit, non expers: uti est sors fœneratitia; aut ejusdem expers: qualis est sors, quā annui redditus emti, sed & ipsi annui redditus futuri (non quorum dies jam venit: *versallene Güten*) modò rebus *mobilibus*, modò *immobilibus*, juris intellectu, *accensentur*. Cujus notitiae usus maximè est in illis locis, ubi statuta vigent, juxta quæ conjux

superstes defuncti mobilia; hujus verò heredes immobilia,
vel contra, lucrantur.

III.

Adeundem.

Obligationem, (quam ad res incorporales referri, in
h. §. un. dicitur;) quidam habet adversus aliquem *ad pre-*
ciosas merces, ex contractu dominii translativo, peten-
das: cuius gratiâ & chirographum obligatorium in mani-
bus ipsi est, & simul tertius aliquis, non debitor, ei hy-
pothecam constituit. Idem adversus eundem debito-
rem obligationem habet *in mille florenos*: sed nec chiro-
graphum ejus nomine habet, nec hypothecam. Incendiæ
omnes debitoris facultates, & sic merces illæ, consumuntur:
Sanè hoc ipso *obligatio mercium* extincta est, & inane fa-
ctum chirographum, inanis & hypotheca: salva licet ambo,
& chirographum, & hypothecæ subjecta res, existant; at
mille florenorum obligatio extincta haud est: ut ut nec
chirographum, aut hypothecam, unquam habuerit credi-
tor: aut, si habuerit, fato perierint.

IV.

Ad tit. Inst. de Servit. Rust. & Urb. præd.

Rubric.

Uti magna, ratione extinctionis maximè, intet *Reales*
& *Personales* servitutes est differentia; ita maximè in con-
stitutione advertendum, quale constituatur, aut constitu-
tum sit jus: ne, intentione non satis expressâ, pro reali ha-
beatur servitute, quod constituens personalem esse voluit
aut tantum personæ obligationem. Certè, qui dixerit
in constitutione: Concedo Tibi ire, agere, per fundum
meum: realem servitutem non constituit; sed nec putamus

eundem fundum suum hoc ipso affecisse personali servitute; verūm se tantūm obligasse ad concedendum hanc facultatem. Etideò si fundum constituens hic pōst alienaret, cum servitute is non transiret. Aliud est, si dixerit: Concedo Tibi jus eundi per fundum meum ad tuum illum. Tunc enim realis foret servitus.

V.

Adeandem.

Servitutis *prædialis formalis ratio* in eo consistit, ut ad prædii usum sit constituta, ut ejus causa inde melior fiat: ad minimum quoad amœnitatem. Unde concessio vicino alicui jure spatiandi, vel coenandi, in horto concedentis, realis servitus concessa in dubio intelligi non potest; personalis tamen, ad servientis fundi successores, etiam singulares, transiens: non verò, uti quidem non pauci autumant: obligatio tantūm ad factum præstandum: quæ ad universales debitoris successores transire solet; ad singulares minimè.

VI.

Ad princ. d. t.

Iter, ein Fußfad/ oder Steg/ cui constitutum est à vicino, facultatem habet, ut per ejus fundum ad suum pedes vel eques commeare queat; non etiam armenta, equos, boves, mulos: non instrumenta agrorum; non vehiculum, ducere ante vel post se.

Aetus, ein Weg/ cui constitutus est, potest hæc omnia; etiam ambulare pedes non agendo, aut agere eundo: nisi vel naturali loci, vel expressa conventio, aut dispositio, unum vel alterum abesse voluerit, non tamen trahere potest per servientem fundum lapidem, vel tignum: nec hastam rectam ferre. Potest autem utrobiq; ista in ea terræ latitudine, quæ vel à partibus conventa, vel ab arbitrio demonstrata.

Kia, eine Straß/ constituta hæc omnia in se continet, exercenda

cenda in ea latitudine (si in constitutione alia non demonstrata) quam Lex XII. Tabb. designavit.

VII.

Ad §. Prædiorum. I.

Urbanarum servitutum cùm aliæ in patiendo tantùm, ita, ut servientis fundi dominus tantùm quid pati cogatur; aliæ in non faciendo, in quibus tantùm aliquid facere prohibetur (illæ ob id *Affirmativa*, hæ verò *Negativa*, dictæ) consistant, ratione constitutionis inter utrasque hæc differentia esse potest, ut in illis & obligatio constituendi, & ipsa constitutio, tempore plerunque differant; in his autem tempore plerunque concurrant. Siquidem eo ipso, dum alter se obligat, ex eo tempore quid non amplius in suo facere, hoc ipso non facit quid: & sic alter plerunq; in exercitio sui juris esse mox incipit. Pacto hinc servitus nunquam constituitur.

VIII.

Ad §. eundem.

Cùm certum sit, quem ex naturali ædificandi libertate ædes suas ad cœlum usque extollere posse: quæ libertas jure Rom. restricta haud est: vix dubium est, quin ex ead. libertate quis in proprio *suo pariete fenestras* versus vicini aream extruere queat, liberoris aëris, aut luminis, aut amoenioris prospectus ergo: et si vicino id molestum sit. Cuitamen prohibitum non est, eidem, in suo, illam, sine servitutis jure quæsitam, commoditatem auferre.

IX.

Ad §. ult.

Minorennis aliquis, cui ad expedienda necessaria parata fuit pecunia, cum Curatoris consensu, & accedente Magistratus decreto, vicino prædialem vendidit servitutem,

con-

constituitque. Ut ut videatur hæc servitutis constitutio re-
ctè se habere, ex parte tum *efficientis*: dum voluntas utrius-
que, constituentis & acquirentis, usu & patientiâ declaratâ,
præviâ causâ seu titulo (quo sine servitutes nec præscriptio-
ne acquiri, verius est) ad transferendum rerum dominia, &
jura similia, habili, adest; tum *subjecti*: & *constituentis*: dum
dominus fuit constituens, cuius ademtam res administrandi
potestatem supplevit curatoris consensus, cui & Magistratus
accessit decretum; & *acquirentis*: tum *objecti*: dum utrinque
prædia sunt habilia: tum *formæ*, à fine hujus juris dependen-
tis: dum dominantis prædii conditio eodem jure melior fa-
cta: his tamen non obstantibus, minorenni huic integrum li-
bertatis prædii jus mansit, ita ut negatoriâ actione id tueri
queat adversus quemcunq; alterius illius prædii dominum.

X.

Ad eundem.

Legato aut fideicommisso servitus prædialis con-
stitui potest. Hæc verò, legato relictâ, relinquente mor-
tuō, adeò prædia utrinque mox afficit, sine ulla quasi tradi-
tione, ut, si à legatario, ejus ignaro, prædium vendatur, aut
alienetur, unà cum prædio servitus hæc transferatur: modò
intratempora, ad non usu amittendam servitutem præfini-
ta, non sit amissa.

Hæc verò omnia in *reliquis juribus*, quæ servitutibus
sunt similia, obtinent, ut: jure venandi, decimandi, braxandi
cerevisiam, patronatûs, jurisdictionis, &c. quæ si controver-
sa redunduntur, Confessoriâ pariter, uti servitudes reales, *actio-*
ne persequimur, eorumque declarationem
petimus: quanquam utili.

TANTUM.


ULB Halle
006 302 106



3

VD17







B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Numine favente!

DECAS

1674, 6.

THESIUM CASUUMQ;

Ex

Tit. Instit. de reb. corpor. & Incorporal.

&c Tit. de Servitut. Rustic. & Urban.

prædior.

illisq; quæ de eosdem proponis solent,

Exercitii Academici ergo
depromta.

Quam,
P R A E S I D E

JOH. ANDREA Frommann/
J. U. D. & Inst. Imp. P. P.

*Publicæ Eruditorum disquisitioni expositam,
pro virium indulitu, defendere conabitur*

FRANCISCUS ALBERTUS
à Sommerfeld / Eques Siles.

In Auditorio Iuridico, horis solitis,

d. IX. Octobr.

A. C H R. M. DC. LXXIV.

TUBINGÆ,

Typis Kernerianis.